

inquit : « Ad hoc, quod hydropicus a Domino curetur, tria requiruntur; primo, quod ante appareat; secundo, quod eum Dominus apprehendat; tertio, quod sanet ac dimittat. » Porro in apprehensione illa et collocactione hydropici ante Christum, sentit idem Sanctus, designari benignam divinæ misericordiæ obtatum, quo Christus hunc miserum intuitus fuit; post quem requiritur, ut Christus utraque manu infirmum tangat, si hic sanari velit: « Necessè est, ut Dominus eum duplici manu apprehendat, videlicet manu misericordiæ et manu justitiæ. »

8. — S. Bonaventura Christi contemplatur benignitatem, corpus immundum et fetidum propria manu clementer attingere non subterfugientis, unde dicit: « In hoc, quod apprehendit, apparet ejus humilitas, quia non dedignatur tangere infirmilates. » Didaeus Stella ait: « Poterat unico verbo sanare, sed propria manu hominem horridum, fetidum tangit; non sic qui proximis infirmos non solum non curant, sed nec tangere aut videre volunt, avertentes caput et oculos, ne illorum ulcera videant. » Oceano Hieronymus scribens, opera misericordiæ commendat, in quibus sese occupabat Fabiola, quæ prima Romanarum matronarum exiit hospitalia, in quibus manu propria iis potissimum deserviebat, quibus fætor adhærebat ulcerum major; deinde ipse S. Doctor hanc pro nobis doctrinam subjungit: « Ille quem despiciamus, quem videre non possumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eodem nobiscum formatus est luto, iisdem compactus elementis, quidquid patitur, et nos pati possumus; vulnera ejus existimamus propria. » In vita S. Elisabethæ Reginæ Ungariæ traditur, quod cum hæc vice quadam a suis sollicitaretur, ut fœtores declinaret hospitalium, subridendo responderit: « Quantum o sodales, securitatem possidebimus salutis nostræ in die iudicii, ibi vobis iudex dicit: *Infirmus eram, et visitastis me.* Nosque idipsum verum esse dicemus; cur igitur mihi, ut ab infirmis nauseabundis me subducam, persuadere nitimini? Quo auditio erubuerunt, omnesque certatim ejus exemplum, sancto huic et pio ministerio sese applicaverunt. In vita magni illius servi Dei, Camilli de Lellis, fundatoris religionis ministrantium infirmis, legitur, quod die quadam medico Crucio obviam factus, ab eoque, quod iret, interrogatus, responderit se ad pulchrum quoddam viridarum floribus plenum, et a castello S. Angeli non procul dissitum, hospitale S. Spiritus innuere volebat, perlustrandum concedere; dicere enim solebat: « Non credo, quod in mundo sit hortus florum, quamvis fragrantissimorum, qui adeo me recreare possit, sicut hospitalium fætor. »

#### Et dimisit eum.

9. — Salmeron ait: « Sanum ac letum jussit abire, partim ut incessus, motusque abeuntis restaretur restitutionem sanitatis, partim ne ipso apud se detento ad ostentationem uti videretur. »

10. — S. Antonius Paduanus in sensu spiritali ita scribit: « Dominus peccatorem conversum tunc dimittit, cum eum ab omni vinculo culpæ, et pœnæ, et tentationis diabolicæ liberum in gaudium sinit abire. »

#### VERSUS 5.

*Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum, die sabbati.*

1. — Quæsierat ante, num in sabbato infirmum curare liceat, quia vero nullus responderat, restitutionem hydropico sanitate, per hoc, quod adduxit exemplum, actionem suam et miraculum patrum justificare et defendere voluit: « Dixit, ostendendo illud esse licitum et bonum, » inquit Lyranus, « per exemplum animalis bruti, cujus periculo licitum est succurrere in sabbato, etiam secundo dum ipsos, et multo fortius succurrendum est homini, propter quem facta sunt animalia bruta, qui factus est ad imaginem Dei. » Et quidem ad illos convincendos aptius adducere exemplum non poterat; unde Glossa ait: « Competenti exemplo solvit quæstionem, ut ostendat, eos sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare argunt in opere charitatis. » Jansenius sapientissimum Magistrum illis verbis duos fecisse lectus observat, non enim per hanc adductam similitudinem recte se operatum fuisse, solum ostendere voluit: « Sed exemplo proposito simul etiam notat illorum, et preposteram religionem, et avaritiam, ut qui in eo, quod si opus erat dicendum, tantum fuit opus charitatis, arguerent eum violare sabbatum, cum in simili opere cupiditatis non iudicaret se violatorem sabbati; » quod argumentum fortiter stringebat, quæ indissolubile erat. Unde Carthusianus ait: « Si licet brutis die sabbati cum grandi labore succurrere, cur non potius licet homini ægro sanitatem supernaturalem dare die sabbati, præsertim cum isud fiat? » tam absque labore, imo facillime? » S. Bonaventura quoque hoc argumentum ponderat, etenim Pharisei, bovem aliquem, etiam in die festo, in puteum vel fossam aliquam collapsum, sine sabbati violatione, laborando foras extrahere licere putabant: « Si ergo salus hominis præferenda est saluti asini et bovis, manifestum est, in curatione hominis sabbatum non solvi, et est argumentum a majori; » porro festum per opus servile profanatur, siquidem ita jubetur, *Lev. xxii, 7: Omne*

*opus servile non facietis in eo; quis autem dubitat, quin servilius opus sit, asinum quemdam e fossa extrahere, quam solo manus lactu infirmum curare? Etenim qui exinde a S. Bonaventura deducitur*

*consequencia, manifesta est; dicit enim: « Si ergo ille non solvit sabbatum, qui bovem de fovea extrahit, multo fortius nec ille, qui hominem sanat; nam si opus avaritiæ non solvit, ergo nec opus misericordiæ; cum opus avaritiæ sit servitatis, opus misericordiæ, libertatis. »*

2. — Hugo Cardinalis super verbum *Extrahet*, inquit: « Non animali, sed suæ avaritiæ consu- lunt, neque id admittebant ex motivo charitatis, sed avaritiæ, ne scilicet utilitatem, ex tali animali provenientem amitterent. »

3. — Utillissima est illa Didaci Stellæ ponderatio, scilicet Christum Phariseorum petulantiam, sola auctoritate percipere potuisse: « Poterat sola sua auctoritate percipere illos, et confundere; sed docuit, quod danda est ratio ditorum et factorum proximis, etiamsi minoris conditionis existant. »

4. — Idem quoque observat, quod licet juxta mundanorum stylium valde inconveniens videri potuerit, quod, qui ad prandium invitatus erat, hospitem suum convinceret et confunderet, nihilominus inquit Stella: « Observa, quod propter epulas non desinit Christus dicere veritatem, non fecit more adulatorem, qui ut ventri consu- lant et gulæ satisfaciatur, ad placidum loquantur magnatibus. »

5. — Glossa in sensu allegorico notat, Christum bovis et asini mentionem fecisse: « Ut vel sapientes vel hebetes, vel utrumque populum significet; scilicet Judæum, pressum iugo legis; et Gentilem nulla ratione domitum, sed stolidum et brutum, » quos omnes a puteo concupiscentiæ demersos extrahit: *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei. Rom. iii, 23.*

6. — Hugo Cardinalis per hanc foveam vel puteum in sensu morali, barathrum carnalis concupiscentiæ interpretatur: « Mystice per asinum stultus quilibet, per bovem sapiens designatur; » per puteum significatur luxuria, seu carnis concupiscentia; » juxta illud *Prov., xxiii, 27: Fovea profunda est meretricis; asinus ergo et bos in puteum cadit, qui tam sapiens, quam stultus aliquando in luxuriam ruit*, uti in exemplo Salomonis patet: « Quid autem est faciendum, cum deciderit bos vel asinus in puteum? Non est ibi dimittendus, sed continuo extrahendus, » tametsi enim egresso a peccatis in nullo peccato differenda sit, specialiter tamen id verum est in peccato carnis, hujus enim peccati, quando habitatum est, cura est difficilis, imo quasi impossibilis. »

7. — Didaeus Stella contra Prælatos negligentes ita lamentatur: « Si asino, aut bovi jacenti succur-

ritur, quanto magis homini? At nunc multi Prælati majorem curam gerunt de equis et mulis, quam de animabus subditorum. »

8. — Per jumentum in puteum lapsam, animam in peccatum mortale captam intelligere possumus, *Psal. lxxvii, 21: Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Per puteum Psalmista statum culpæ præfiguratur; unde hanc a Deo gratiam postulabat, *Psal. lxxix, 16: Neque urgeat super me puteus os suum*; sicut ergo jumentum deorsum in fundum usque cadit, ita anima ad profundum usque inferni collabitur. Item sicut jumentum nullo modo per semetipsum e puteo egredi potest, sed necessum est, ut alius compassione motus illud eximat, ita et anima per se et propriam voluntatem in peccatum quidem labi potest, inde vero nequit resurgere, nisi Deus illi potentem divinæ gratiæ suæ manum porrigat: *Perditio tua, inquit Deus, Ose., xlii, 9, cæ te; tantummodo in me auxilium tuum.* Enimvero ex vobiscum: *Continuo extrahet*, utilissimum quoddam dogma elicere possumus, scilicet quod a peccato subito sine dilatione resurgere debeamus, cum Deus ad id nos adjuvare non desinat, quia: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Etenim rusticus est, qui jumentum in foveam cecidit, vel Princeps, cujus in eam collapsus est equus illa exinde eximere, et ab omni periculo eripere non desunt. Quæ igitur est nostra dementia, quod cum anima nostra, secundum presentem justitiam, ad barathri infernalis portas vicina consistat, nos tamen inde cum erure de hora in horam, de die in diem, de septimana in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum differamus. Ad eruendum animal, nostrum nos interesse excitat, nec tamen nobis de anima cura est, ut eam a penarum eternitatem eruat, beatæ restituamus æternitati; si quis ex capillo supra ardentem fornacem suspensus, in hoc momento ab ignis periculo evadere possit, illene rogabit, ut subsidium offerens, in mane usque alterius diei expectet? Nos uno quasi pede in inferno consistimus, vita quoque nostra ex filo suspensa hæret, quæ ergo tanta erit salutis nostræ æternæ negligentia, ut nostram inde liberationem, in diem crastinum differamus?

9. — Forte valdeque stringens argumentum est illud, quod S. Ambrosius in magna animæ Deum credentis, confusionem eformat: « Si aurum tibi auferatur, non mihi dicis; cras veniam, sed jam exigis, nemo differi, nemo se excusat; redemptio animæ offertur, et nemo festinat? » Cum de voluptatibus consecrandis agitur, his sine dilatione frenum laxamus; sic filia Herodiadis dicebat: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis: voluptuosi quoque et dissoluti juvenes in libro Sapientiæ dicere non verebantur: Coronemus nos rosas, ante-*

quam marcescant; utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Nunquid igitur peversorum damnanda est sollicitudo, qua suum usque in infernum accelerat præceptum, e contra vero ad celum acquirendum ad evadendam orcum, adeo pigri existunt; Nazianzenus ait: « Ad scelus quidem, ad fraudem tardus eris, celer autem ad salutem, paria enim in viro sunt promptitudo ad vitium, et procrastinatio ad salutem. »

#### Additiones.

**a.** — *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahit illum die sabbati?* Hac interrogatio Phariseorum cæcitas et avaritia apertissime declaratur, qui nefas esse putabant hominem in sabbato curare, cum justum esse crederent periclitanti bovi succurrere. Mira sane judiciorum perversitas; cum enim constet, charitatis legem a Domino non ad brutorum animalium, sed ad hominum latam utilitatem, isti adeo præpostero judicio erant, ut eam erga pecudes, non autem erga homines servandam esse decernerent, quandoquidem periclitantes boves in sabbato curandos, homines vero negligendos esse judicarent. Quo quid esse dementius, quid magis præposterum, quid ab omni humanitate malis alienum esse poterat? Quid vero si hujusmodi cæcitas in nostris quoque moribus deprehendatur? Qua de re sic S. Bernardus fatetur: « Egrotat equus, et queritur remedium; periclitatur subditus et dissimulatur. » Cedit asinus, et est qui sublevet; perit anima et non est qui recogitet. » Multi enim sunt qui majori cum sollicitudine bona temporalia et salutem corporis, quam spiritualia et salutem animæ curant. Incarnata Sapientia nullum formare poterat argumentum, quo Christiano sua efficacius majorique cum energia exprobraretur in procuratione salutis animæ inexcusabilis lenitudo, ut per ejusmodi improprium eripiat ab inferno, quam dum sollicitudinem exponit, qua jumentum aliquod in puteum delapsum foras sollicito extrahitur. Ubi observanda est dictio illa: *Continuo*. Quod si enim bos vel asinus per diem integrum in tali jaceret puteo, submergeretur utique; ac proinde cum celeritate inde extrahitur, ne moriatur. Anima, per peccatum mortale, secundum præsentem justitiam, in profundum utique inferni corrui; siquidem ab illo non nisi flatu aut anhilito unico distat. Tardissime igitur, illamque cum tanto æternæ mortis periculo, per dies, septimanas, menses et annos, in pernicioso hoc puteo jacere permittimus? Ergone a Christiano majoris asinus, quam anima propria æstimabitur, de qua S. Apostolus ait: *Empti enim estis pretio magno*. Puteus porro profundus peccatum est. Unde David, *Psal. lxxvi*, orabat: *Negue urgent super me puteus os suum*. Quemadmodum igitur jumentum in puteum collapsum, per suas

vires, quantumcumque illa sint, inde egredi nequit, sed alieno indiget adjutorio; ita quoque qui in peccatum lapsus est, inde sine efficaci divinæ gratiæ auxilio egredi non potest. Unde Deus apud Oseam, *xiii, 9*, inquit: *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*. Similiter quemadmodum indignus foret qui in simili lapsu amplius juvaretur, qui alias in puteum lapsus porreclam sibi manum auxiliatricem acceptare aut apprehendere sæpius nohuit: ita a Deo relevari et auxilium accipere non meretur qui divinum sæpius repudiavit subsidium.

**b.** — Hunc asinum, bovem et foveam mystice explicat Hugo Cardinalis, per asinum, inquiens, stultum, per bovem sapientem, per foveam vero luxuriam designari. *Fovea enim profunda meretricis*. *Proc., xxiii, 27*. Asinus ergo et bos in puteum cadunt, quia tam sapiens quam stultus aliquando in luxuriam ruunt. *Inveni, ait Ecclesiastes, vii, 27, amariorem morte mulierem, quæ loquens venatorum est, et sagena cor ejus*. Utrouque magna exaggeratio, amariorem morte mulierem, et sagena cor ejus. « Quia quantum est ex voluntate sua, » ait Hugo, « velut sagena omnes pisces, et magnos et parvos » capit, sic mulier impudica omnes ad se trahere conatur. » S. Antonius de Padua, in sermone quodam hujus textus Proverbiorum, *vii, 10*: *Mulier preparata ad capiendas animas*, mentionem faciens, per mulierem hanc illaqueandis animabus intantum, luxuriam in genere intelligit: « *Mulier, id est, sensualitas, pretiosam animam viri rapit.* » S. Nilus mulierem cum serpente comparat; sicut enim hic, cum potest, veneno suo nos inficit, ita quoque hic sexus, cum occasionem habet, mortis venenum nobis instillat: « *Par est serpentis et libidinis indulgentia, nam ut occasionem inveniant, mortem statim afferant.* » S. Augustinus lascivum hominem generoso cuidam athletæ assimilat, qui post illatum inimicis suis capitalem stragem et interneconem, postea captivæ mulieris amoribus inescatus, semetipsum mortis condemnat. « *Et videte quantum malum sit, ut aliquis crudelior existat in se, suam animam occidendo per luxuriam, magis quam per carnalem victoriam, et adversariorum corpora trucidando.* »

**c.** — Ne videretur quod Dominus Phariseorum silentio fretus, absque ulla ratione, die sabbati hydropicum sanaverit, ideo divinus Magister, qui alta providentia omnia operabatur, efficacem rationem producit; sed cur potius in exemplum asinum et bovem Phariseis adducit? D. Augustinus, *lib. ii, quæst. Eeang., cap. xxxi*, ait: « *Congruenter hydropicum animal, quod cecidit in puteum, comæ paravit.* » Uterque enim nimio humore aque premittitur ac laborat, cum dicitur, *cadens in puteum*. Lapsus magnitudo et difficultas revocandi denotatur; in quæ mala ex immoderato quæ stimulo devenerunt, hydropicus ex nimio appetitu bibendi,

#### VERSUS 7.

*Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos.*

*Dicebat autem ad invitatos parabolam.*

**1.** — Nomen parabola, hoc loco, ut Lucas Brugenensis advertit, non accipitur proprie, sed idem est, quod doctrina vel instructio: « *Parabolam, id est, doctrinam, qua a vana gloria ad humilitatis studium eos revocaret.* »

**2.** — Licet Christus mensæ assideret, in qua homines mundani de rebus sæcularibus, non de divinis disserere solent, ipse tamen prandium illud, discursibus et documentis spiritalibus et salutaribus condire voluit, qui laudabilis usus hodie ad religiosos transiisse conspiciunt, qui refectioni corporali spiritalium associant, id est, sacram aliquam et devotam lectionem. Theophylactus a Glossa citatus ait: « *Videns cœnas Christi, quales sint, nempe in utilitatem animæ, ut non in salietatem ventris vertantur;* » idemque bonos effectus ponderat, qui ejus opera in hac mensa resullarunt: « *Ece sanavit hydropicum; docet Phariseos, quod bonum sit, in sabbato benefacere, ad postea videns eos de primo accubitu tumultuari, sanet et hanc affectionem, quæ non de parva sed magna, et vix effugabili causa incipit, inani inquam gloria.* »

**3.** — Salmeron notat, quod Christum veritatem illis dicere non omiserit, licet ceteroquin tempus et locum inopportunos esset: « *Vide, quam longe fuerit Dominus Jesus ab omni adulandi specie, quod vitium etsi omnibus in genere fugiendum est, iis maxime vitio verti debet, quorum interest, et impiis suas impietates exprobrare.* » Unde Apostolus Timotheum, *II Epist., iv, 2*, monet: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa.*

**4.** — « *Quoniam autem sciebat Dominus, » inquit Jansenius, « hoc facto offensos animos Phariseorum, ut post sanatum corpus, mederetur et mentibus, pravis judicis infectis, respondens ad cogitationes illorum, dixit, etc.* » Apostolus proinde monet, *Rom., xii, 20*: *Si esurierit inimicus tuus, cibo illum; hoc enim faciens, carbonem ignis congeres super caput ejus; qualis autem hic cibus esse debeat, qui inimicis nostris ministrandus est, quod non de corporali, sed de spiritali cibo intelligendum sit, hisce sequentibus verbis declarat: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo; et reddere pro malo bonum; id quod Christus hoc loco egregie præstitit, etenim Pharisei, capitales ejus inimici erant, qui mortem ejus anxie desiderantes, ad epulas illum invitarent, ut eum accusare et calumniari possent, ipse vero pro malo bonum reddere voluit, quia sicut hic hydropicus, tanta cum benignitate corporalem restituit salutem, ita**

et animal etiam tanquam impatiens, ut aquam ex puteo gustaret. Non mirum ergo, quod in tot mala devenerent; damna enim quæ ex gula germinantur, multam difficultatem revocandi ad sanitatem gressus important. Regum sapientissimus Salomon, in Proverbiis, *xxiii, 29*, olim interrogabat: *Cui vix?* Sed audialis velim quantæ per datum ei responsum, ebriis et epulonibus fuerint comminate ærumnæ; postquam enim præmisisset: *Cujus patri vix?* *Cui vix?* *Cui vix?* *Cui sine causa vulnera?* *Cui suffusio oculorum?* Subdit: *Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, quando splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo moribit, ut coluber, et sicut regulus venena diffundit.* Nunquam enim rigidioribus Dei supplicii adeo vicini sumus, quam quando justissimum ejus furorem per crapulam irritamus. Deus apud Isaïam, *v, 22*, comminatur, dicens: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum; propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, germen eorum ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum et eloquium sancti Israel blasphemaverunt; ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum, et facta sunt morticina eorum quasi sterces in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus.* Imo quotiescumque in sacris paginis de hoc vitio agitur, semper ira Dei in eo castigando exacerbata demonstratur; siquidem infinita Dei Majestas ex hoc vehementer contumeliatur.

#### VERSUS 6.

*Et non poterat ad hæc respondere illi.*

**1.** — Lucas Brugenensis perpendit, quod, licet Pharisei convicti et confusi fuerint, adeo ut respondere non potuerint, Christum tamen hydropicum sanasse, approbare noluerint; imo ex hoc facto deinceps occasione illum magis calumniandi sumpserint, utque fidem ejus apud plebem minnerent, ipsum velint publicum legis transgressorem proclamari, dicentes, *Joan., ix, 6*: « *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit, hoc licet sciret Jesus, non tamen omisit hominis hujus sanationem, exemplo suo docens, non esse omittenda opera bona propter peversorum sive calumniarum, sive scandalum.* »

**2.** — Salmeron de efficacia argumenti a Christo facti, ita scribit: « *Hujus argumenti tanta vis erat, ut ne contra hiscere ausi fuerint Judæi; nam si licet sabbatis asino aut bovi benefacere, cur non liceat homini benefacere, ad imaginem et similitudinem Dei creato.* »

quoque per hanc parabolam et discursum, hosce inimicos suos a spiritualibus ipsorum infirmitatibus intenderit.

5. — Jansenius causam reddit, cur S. Lucas discursum hunc, parabolam vocet, cum tamen potius moralis quadam doctrina fuerit; dicit ergo: « Ideo parabolam vocat, quod sub hoc sermone, quo ad civilem quamdam in conviviis servandam modestiam, ad litteram hortatur, dicere Dominus voluerit, sectandam semper et ubique humilitatem, et sui depressionem, fugiendam vero sui exaltationem, quod per hanc fit, ut quis plerumque ab hominibus semper aut a Deo humilietur; per illam vero contra fiat, ut quis a Deo et hominibus exalletur. »

6. — Didacus Stella Christum hoc exemplo ministros verbi Dei instruere voluisse dicit: « Observeandus est locus iste præconibus verbi Dei, ut non illico verbum veritatis subtrahant, ubi vel animo pessimo vel capiendi studio, quosdam sibi auditores senserint adesse; sperantes, ut sicut Christus multos dolo venientes virtute sui verbi ad pietatem convertit, ita per suos id posse præcones; » adducitque Jeremia exemplum, qui cum a populo, prædicationem ejus surdis auribus crepientibus, derideretur, habereturque indigne, a prædicatione desistere staterat; cui tamen Deus contra præcepit, dicens, *Jerem., xxvi, 2: Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertantur unusquisque a via sua mala, et penitent me mali, quod cogito facere eis.*

*Intendens, quomodo primos accubitus eligerent.*

7. — Lyranus hæc verba non modo de primo et honoratiori in epulis solemnibus accubitu, sed de quavis alia a nobis quaesita ambizioso dignitate interpretatur dicens: « Primus accubitus est qualibet electio, vel postulatio, seu promotio ad aliquam dignitatem, ad dignitates enim se nullus debet ingerere, sed alios meliores se præponere, quantum est in se; alias invitator principalis, scilicet Deus, a quo est omnis potestas, deiciet eum a sua dignitate, saltem spiritualiter, sententia damnationis, aliquando enim deiciet tales poena temporali depositionis; si autem relinquent, sicut faciebant patres antiqui ut Gregorius, Ambrosius et similes; tandem ex obedientia suscipitur, et ex charitate fraterna, ea bene usus fuerit, tandem coelestem gloriam obtinebit, ideo subditur: *Erut tibi gloria.* »

8. — Est autem hoc loco notandum, quod venenum vel maxime in verbum eligerent, consistat, non enim honorum possessio condemnat, sed eorumdem inordinata ambitio: « Attende diligenter, » inquit Salmeron, « quod non ait: *intendens*, quomodo in primis recubitus sederent, sed quia *primos accubitus eligerent*; periculum enim est

« in eligendo seu affectando, non ita in sedendo: « multi enim supremum locum, a fastu alienissimi occupant; multi ultimo loco sedent, qui sibi et meritis suis vix sufficere putant, vel honestissimum et primum locum. »

9. — Didacus Stella pariter culpam non in sublimi fastigio, sed in ambitioso prætendentium affectu consistere, hoc evidenti concludit discursu: « Necessè enim est, ut ex multis unus supremum locum habeat; etsi Papa, Rex, Episcopus aut Prælati sedent in loco eminentiori, hoc non damnat Christus, sed hæc appetere, ambire et eligere condemnat. » Nihilominus citra omne dubium, grandior exurgit in prætendente culpa, majorque reatus, si dignitatem ambiat, ad quam se omnino inhabilem novit, nullis insuper præcedentibus meritis; quem ambiendi genium Albertus Magnus ex presenti Evangelii textu elicit, inquit: « cathedras honoris et dignitatis, propria voluntate, non vocati ad eas auctoritate superioris; » quos ambitiosorum cæcus tanquam teneros sugillat. S. Cyrillus a S. Thoma in *extenu* citatus, ait: « Prosilire prompte ad honores, qui nobis non conveniunt, indicat nos temerarios esse, et nostra facta vituperio replet. »

#### VERSUS 8.

*Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honorator te sit invitatus ab illo.*

*Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.*

1. — Cajetanus verba hæc Christi secundum sensum non litteralem, sed spirituales ad Pharisæos directa fuisse opinatur, dicens: « Manifeste apparet, quod sequens doctrina, quæ secundum litteram morale sonat documentum, alio tendat, quæ ad docendum, morem servandam, circa accubitus in convivio. » Tandem vero Auctor concludit, Christum hæc dixisse, ut eam nos doceat, quæ superbos poena, et humiles maneat honor: « Ecce quo tendit parabola ad penam superbiæ, et præmium humilitatis. » Salmeron quoque similem discursum facit, dum ait: « Loco parabolæ a Christo introducuntur celsiora et majora mysteria, quam ipse cortex prima facie pollicetur. » Deinde ostendendo impossibile esse, quod consilium, ultimo loco occupando adimpleri possit, eo quod semel illo occupato, qui supervenit, frustra ultimum locum quaereret: « Imo jam non minus pagna esset, nec minor ambitio, in ultimo loco occupando, quam in primo, nam cum locus postremus ut honorabilior habeatur, jam multi pro eo, non quia ultimus sit, sed quia dignior et

« honorificentior, contenderent; et sic occupare ultimum locum superbiæ esset, non humilitatis. » Denique subinfert, verba illa non tam de sessione corporali hoc in ultimo loco intelligenda esse, quoad effectum; quam quoad affectum: « Debet hoc præceptum sedendi in ultimo loco, intelligi secundum animi præparationem, id est, oportet sincero animo non ambire prima subsella. »

2. — Hugo Cardinalis in sensu mystico, per invitationem ad nuptias, nostram vocationem ad fidem intelligit: « Id est, cum vocatus a Christo per inspirationem vel prædicationem exteriorem, unitati Ecclesiæ sociatus fueris, non discumbas in primo loco, id est, non te extollas præ cæteris, de scientia vel de meritis gloriando, » quin potius, ut in humilitate perseveres, considerandum est, primum locum donum Dei esse, nosque illum minime promeruisse; imo tanto plus locus primus timendus, et cum tremore a nobis accipiendus est, quod nesciamus, an obligationis illius satisfacturi, in eaque simus perseveraturi ad finem usque.

3. — Salmeron præsumptosam hanc in primo loco sessionem, quoad mysterium de Lucifero explicat, secundo de protoparente nostro, tertio vero de quovis alio ambitioso et elato homine: « Videtur hæc parabola primo petere demonem, deinde Adamum, tertio quemvis sive demonis sive Adæ discipulum, et in superbia imitorem; » porro de Lucifero in Isaia, xiii, 13, scribitur: *In cælum conscendam, super astra Dei exultabo solum meum;* et in Ezechiele, xxviii: *Deus ego sum; ego feci me metipsum.* Subjungit vero Salmeron: « Sed venit honorator illo, Christus Deus et homo; cum imperio, per se et per Michaelæm cum exercitu suo præstantem, dictum est Satanæ: *Da huic locum;* quis enim sicut Dominus Deus noster? De loco ejectionis est, et cepit cum rubore novissimum locum tenere. » Isaia, xiv, 13, quoque superbo huic spiritui dicit: *Ad infernum detraheris, in profundum lacu.*

*Ne forte honorator te sit invitatus ab illo.*

4. — « Id est, Deo invitanti gratiosior, » inquit Hugo Cardinalis, « sit invitatus, id est, ad fidem vocatus a Deo, qui omnes vocat, aut per inspirationem, aut prædicationem, aut flagellorum visitationem, aut per visitationem beneficiorum; et tunc cum te extuleris, id est, meliorem te cæteris reputaveris, *veniens is, qui te et illum invitavit*, id est, Deus, qui corda singulorum et merita intelligit, juxta illud: *Spiritus ponderator est Dominus; dicit tibi interior occulte vel exterius manifeste; sæpe enim Deus videns aliquem de se præsumptum, et se alius præferentem, per misericordiam ei intimat, quod ille, qui se præfert, ei præferendus est, ut revocet eum ab errore suo.* »

#### VERSUS 9.

*Et veniens is, qui te et illum invitavit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.*

1. — S. Bonaventura ait: « Qui nos invitavit, est Christus, qui venit ad nos, vel per inspirationem, vel per mortem, vel per finale examen. »

2. — Cedere locum suum, inquit Glossa, est habere de se conceptum, quovis alio inferiori: « Id est, intellige te minorem, et alios majores te, et meliores, *Eccli., iii, 20: Quanto magnus es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam; et tunc, id est, quando cognoveris meliora de aliis, quibus te prius meliorem putabas, incipies cum rubore novissimum locum tenere, id est, tunc confunderis, quia te alius prælati.* »

3. — Titus Bostrensis modestiam nobis insinuat, omnemque a cunctis dignitatibus, animi alienationem: « Ille cordatus est, qui cum primæ sedis honorem jure mereatur, adeo illum non affectat, ut ultra quoque alii deferat, quare magnam præclarumque donum est, animus modestus suaque sorte contentus. »

4. — Ecce mirabiles superborum et arrogantium metamorphoses, ecce incredibilem scenæ mutationes, quæ in hoc sæculo quotidie videntur; qui enim in primo loco considebat, cum rubore deponitur et contemnitur in ultimo, *Psal. xxxvi, 35: Vidi impiam supercaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transiit, et ecce non erat;* in alio quoque *Psalmi lxxii, 18, loco dicitur: Dejecisti eos, dum alleverentur.* Quanto enim amplius in altum ascenditur, tanto est vicinus præcipitium; mundi honor et gloria fumo comparatur, de superbiis namque David, *Psal. xxxvi, 20, ait: Deficientes, quemadmodum fumus deficient;* fumi autem proprium est, quod quanto amplius extollitur, tanto plus rarefiat, deficiat et evanescat. Unde S. Gregorius ait: « Fumus ascendendo deficit, a sese dilatando evanescit; sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia unde ostenditur, ut alius sit, inde agitur, ut non sit. »

5. — *Cum rubore novissimum locum tenere*, idem est, quod in honoribus contemni. *Gloriam sapientes possidebant*, inquit in Proverbiis, iii, 35, Sapiens, *stultorum exaltatio ignominia.* Regius Vates, qui quænam sit dignitatum humanarum conditio, quovis alio perfectius intellexit, ita, *Psal. xi, 9, inquit: In circuitu impij ambulat, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Pagninus legit: *Cum exaltati fuerint, vilis est filius hominum;* dum enim indigni coram omnibus extolluntur, imperfectiones et vitia illorum magis apparent, cum proprio eorum ludibrio et vilipendio. De horum numero erat ille a S. Bernardo, *lib. II de confid., c. vii, ad-*

ductus: « Eo deformior, quo illustrior; numquid potest civitatis supra montem posita desolatio occurrat, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? » Ingeniosa profecto est illa ambitiosorum similitudo, qua illi, qui sine meritis ad honores fuere evecti, e quibus postea, rota fortune inversa dejecuntur, curru Ezechielis comparantur, qui quatuor diversas facies referebat. Prima est leonis, siquidem superbus tanquam leo, terribilem se omnibus facit et continua febris illa inardescit, de qua S. Ambrosius ait: « Febris nostra ambitio est; » secunda facies est aquilæ, quia ad instar aquilæ, eo usque extollitur, ut, qui haec tenus amici ejus et noti fuerint, ab oculis ipsius dispareant, dum illos agnoscere erubescit; tertia hominis quia ab ea dignitate decidens ad pristinum esse revertitur; quarta denique est bovis, quia tunc vel maxime incitiam suam manifestam esse facit; unde ab unoquoque contemnitur. Quisquis honoribus dignus est, nec tamen illos pretendit, sed per obedientiam ad eorum possessionem evehitur, in omni statu sive privato, sive publico, in honore et reverentia semper ab omnibus habetur, ejus contrarium indignis accidit, de quibus S. Hieronymus dicit: « Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine, aut quid dignitas indigno, nisi ornamentum luto? »

6. — Didacus Stella per illos, qui primas sedes occupant, absque eo, quod ad illas vocati fuerint aut invitati, tales intelligit, qui in dignitates semetipsos per vim intrudunt, contra quos valet illud Apostoli, *Hebr.*, v. 4, axioma, quod, utpote clarum, nullo glossemate indiget, nimirum: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Evidens enim indignitatis alicujus signum est, si qui nullum superioritatis et prelatutis congruum meritum habet, eandem nihilominus ambiat, procuret et mediis illicitis quaerat. Ac proinde S. Bernardus, *lib. IV de consid.*, cum Eugenio Papa de iis subjectis deliberans, hæc ab Ecclesiasticis dignitatibus excludi merentur, hæc ei monita suggerit: « Sane huic negotio non se ingerat rogans; consilio non prece agendum est, alius pro alio, alios forte et pro se rogat, pro quo rogatus, fit suspectus, qui ipse rogat pro se, jam judicatus est; nec interest, an per se an per alium quis rogat. » Sufficit igitur de aliquo scire, quod sit ambitiosus, quodquod vel per se vel per alium honores et dignitates consecetur; hoc, inquam, sufficit, ut quis sine temeritate aliquem honoribus indignum esse judicare possit. Arrogans nimis presumptio est, si quis credat, se adeo validos habere humeros, ut Episcopatus alienigenis onus rite sustinere possit, de quo concilium Tridentinum attestatur, quod sit angelicis humeris formidandum, » quodque S. Augustinus appellat « periculosissimum ministerium, » S. Paulinus « sacram molem. » Ad hosce

feriendos calamum suum acuit S. Bernardus, inquiens: « Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas et tribulos, vineis tamen dominicis etiam se ingerere non vereri, » quos proinde latronum titulo mactat, siquidem Christus ait: *Qui non intrat per ostium; sed ascendit aliunde, ille fur est et latro: Fures sunt et latrones, non custodes neque culiores.* Contra nos Deus ipse, per os Osee, viii, 4, expresse protestatur, dicens: *Ipsi regnaverunt et non ex me.* Ubi S. Gregorius ait: « Ex se autem et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt » potius quam assequuntur, quos tamen internus judex et provehit et non agnoscit, quia quos per mittendo tolerat, per judicium reprobationis ignorat. »

## VERSUS 10.

*Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius; tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*

*Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco.*

1. — Salmeron Christum his verbis semetipsum ad vivum delineasse existimat, utpote qui in mysticis hinc nuptiis ultimum semper locum obtinuit: « Quia natus in præsepi, per incarnationem exinanitur, in vita non habuit, ubi caput suum reclinaret, et inter Apostolos erat tanquam minister; unde dictum est illi: *Amice, in quo mihi bene complacuit, ascende superius, nempe resurgendo a morte, et ascendendo in caelum, et sedendo a dextris virtutis Dei, hoc est, occupando primum locum convivii, de quo Apostolus: Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, etc.* Ex tunc fuit illi magna gloria coram simul discumbentibus, etc. »

2. — Hugo Cardinalis hæc verba de nostri ipsiusmet contemplu exponit: « Te minore omnibus reputando; hoc non faciunt, qui in Ecclesia appetunt dignitates prelationum, aut in claustris se reputant sanctiores, aut in scholis sapientiores, » volendo audiri et nunquam audire. »

3. — Salmeron hic querit, quidnam aliquis in casu, quo ultimus locus occupatus fuerit, facere debeat, an certare cum illo debeat, ut ipsum ex infimo loco repellat? respondetque negative: « Quia, » ut ait Basilius, non minus ordinem et pacem perturbat et ambitiosus est, certare pro ultimo loco atque pro primo. » Quod si autem ulterius quaeris, quomodo igitur præceptum Christi impleri possit, respondetur: « Potes corde sedere, te viliorum et inferiorum cæteris æstimando. » Citatque dogma Auctoris Imperfecti, scribentis: « Quod

« jubet nobis in ultimo loco Dominum recumbere, » non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos esse omnium judicemus; nam sine causa loco se humiliat, qui corde se preferit; unde non vituperat eos, qui primo loco recumbunt, sed eos, qui amat primos discebunt, ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum; » qui enim in primo loco et in prima sede consistit, se ea indignos esse existimare debent: multi in sublimi sedent, qui, si in arbitrio illorum staret, pedibus aliorum, scabelli loco servirent. S. Carolus sapiens se privatum Sacerdotem esse malle protestatus fuit, ut majori cum sollicitudine pro lucro et servitio animarum in pagis, vicis et locis alpestribus laborare posset; multi et contra in loco infimo sedent, qui tamen in corde suo magnam prima loca occupandi ambitionem fovent. S. Antonius de Padua ait: « Magna superbia, in nuptiis, id est, Jesu Christi Ecclesia, in primo loco, id est, dignitatis excellentia velle discumbere. »

4. — Salmeron per hæc nuptias in alio sensu, eucharisticas intelligit, pro quibus hoc nobis suggerit documentum: « Caveamus nobis a primo loco, aut cæteris nos certiores existimare, vel quod frequentius, vel cum majori sensibili devotione communicamus, sed per omnia indignos nos tanto cibo habeamus et ex corde dicamus: *Domine, non sum dignus, ut intres, etc.*; qui enim hoc sentit, dignus est fructu tanti cibi, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et huic dicitur: *Amice, ascende superius.* »

5. — S. Bernardus ait: « Novissimus locus mors est, » ac proinde si hujus celestis panis substantia frui, Agnique nuptiis, cum animarum nostrarum fructu, accumbere volumus, mortem meditetur. Subcæritius Eliæ panis hujus Sacramenti symbolum fuit; de hoc autem Hugo Cardinalis ait: « Panis subcæritius est memoria mortis, quæ multum reficit animam; » Salvator noster institutionem sanctissimi Sacramenti, per triginta trium annorum spatium, usque ad noctem, quæ mortem ejus præcessit dislulit: *Qui pridie quam pateretur accepit panem, etc.*, ut illis, qui eo cibandi essent, tanto vivacius, non modo memoriam passionis suæ, sed simul etiam vitæ nostræ finem imprimeret, cum institutum sit, velut unicum itineris ad cœli patriam instituti vaticinium; ac proinde magnum utique convivium hoc fructum conferet, si, qui ad illud accedunt, se novissime et postremo ad illud accedere sibi persuadeant.

6. — Idem quoque S. Bernardus ait: « Locus novissimus est Paradisus; » quisquis igitur in se omnem fastum et pompam mundanam reprimere, omnemque ejusmodi dignitatis ambitionem depouere voluerit, in Paradisi gloria colorumque regno se ponendum contempletur.

7. — At vero si per novissimum locum, prout in hujus Sancti sententia diximus, mors intelligatur, hæc pariter enuntia est medium, ad depellendam a nobis omnem mundanorum honorum vanitatem: *Quia non respectus mortis eorum, ideo tenuit eos superbia.* Psal. LXXII, 4.

*Ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: amice, ascende superius.*

8. — Hugo Cardinalis hinc verba hæc adhibet paraphrasin: « *Ut cum venerit in morte vel ad judicium, vel quotidie per inspirationem, qui te invitavit, dicat tibi: amice, qui amaris et amas semper, ascende superius, in presenti ad majus meritum, in futuro ad majus premium;* » quoadusque enim in hoc mundo vivimus, ad majores meriti gradus ascendere conari debemus, Psal. LXXII, 8: *Ibant de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* S. Bernardus, ut nostram confundat hæc in re pilgriam, hominum mundanialium nobis propositi insatiabilitatem, in explendis suis cupiditatibus et appetitibus, sive honores spectes, sive facultates aut voluptates: « Nomen ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentia et tepiditate; » pudeat certe spiritualium nos honorum minus cupidos inveniri; » existimo profecto, quod si in cœlestes cadere tristitia posset, illam non aliunde orituram, quam quia hic in terris majora sibi merita non comparavit, ut ad eminentiores ascendere possent gradum beatitudinis.

9. — Lucas Brugensis locum illud adducit Sapientis, Prov., xxv, 6: *Ne gloriosus appareas coram Rege et in loco magnatorum ne steteris, melius est enim, ut dicatur tibi, ascende hæc, quam ut humiliaris coram Principe;* qui idem auctor paulo post valde considerabilem subjungit sententiam, dicens: « Vera est gloria, quæ datur, non quæ ambitur. » S. Antonius Paduanus, ad vocem *amice* se reflectens, ait: « Ex humilitate amicum te agnoscit qui ex presumptione te postposuit; » sed quid mirum, siquidem ut Didacus Stella ponderat: « *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; eos, qui sponte sua mundi honores et gradus contemnant, extollit Deus, deprimens ambitiosos.* »

10. — Ecce igitur tibi modum, quo exallari et magnificari possis, si nimirum tibi vilis, atque infimum usque tuiusmodi conceptum te contemas; unde Isidorus Pelusiota ait: « Qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet et tunc magnæ erunt. » Moyses Ægypti totius regnum repudiavit, seque digniorem esse censuit, qui ligonem tractaret, aut araturum dueret, quam sceptrum, qui servili cingeretur veste, quam regio amiceretur paludamento; sed quid Deus noster fecit? Non solum sumendum ad sublimissimam dignitatem, qualis erat data ipsi in totum populum suum potestas et imperium evertit, sed etiam suum in

terris locum tenentem, imo deum Pharaonis esse voluit: *Constitui te deum Pharaonis*. Ubi S. Ambrosius ait: « Fugiendo potentiam potentior factus est, factus est enim in deum regi Pharaoni. » Quos Moses non adhibuit conatus, ne ad munus illud promoveretur, habuitentem se et ineptum ad omnia prosterando? ex qua reluctantia Origenes hoc elicit documentum: « Bonum est non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt, dignitates et principatus, et ministeria Ecclesie, sed imitari Moysen et dicere cum eo: *Provide alium quem mittas*; neque enim ad principatum Ecclesie venit, qui salvari vult. » Sceptum imperii, quod Dominus Moysi in manus dedit, virga illa prodigiosa fuit; at vero quare eandem in serpentem mutari fecit, hoc enim animal super terram serpendo reptit; notandum igitur, quod virgum non prius in serpentem transformavit, nisi postquam eadem in terram projecta fuit, ad insinuandum, eos non recte regere et gubernare, nisi qui in honoribus ad terram se prosternere norant, id est, qui ex honoribus, quibus prefulgent, non effluentur in superbiam, sed se ad instar aliorum, homines et ex communi Adæ massa efformatos esse agnoscunt. Deus quoque eidem Moysi de Josue dixit, qui ei in gubernatione populi successurus erat: *Dabis et præcepta cunctis viventibus et partem gloriæ tuæ*, ubi Olearius apte ad propositum nostrum legit: *Dabis ei de dejectione, vel projectione tuâ, ac proinde advertendum est, quod illa Moysi in terram humilitatio et projectio idem sit, quod ejus exaltatio et glorificatio; siquidem idem significat, gloriæ tuæ, quod dejectionis tuæ*; Moyses enim in solitudine adeo renuit principatum, ut projectus ad illum videri posset. Enimvero quanta cum renitentia magnus ille populi dux Josue, cui spiritus ille communicatus fuit, post mortem Moysi, in illam se dignitatem collocari permisit? Etenim eodem in loco, Num., xxvii, 28, prius dicitur: *Tolle Josue virum, in quo est Spiritus Dei*, ubi Abulensis verbum *tolle* notans ait: « *Tolle* significat dictionem quamdam non voluntariam, in qua significatur quod Josue non petierit istum principatum, nec appetebat, sed solum ex mandato Dei assumpsit. » David de sua ad regnum assumptione discurrens, hocce Dominum alloquitur humilitatis et submissionis discursu, II Reg., vii, 38: *Quis ego sum Domine, Deus, et quæ domus mea, quis adjuxit me hæcvisque?* Ecce tibi qualem regno adeo copioso et opulento, quale Israel erat, titulum imposuerit, nimirum *hæcvisque*; et quidem, ex verbo *adduxisti*, patet ipsum jussum esse ascendere superius, eo quod in ultimo convivii loco se collocarat, quando dicebat: *Quis sum ego et quæ domus mea?* Hem: *Quem persequeris*, dicebat Sauli, I Reg., xxiv, 15, *cœnem mortuum?* atque hoc motivo, Dominus nupliarum commotus, ipsum primum locum ascendere jussit; unde Samuel jussu Dei Sauli dixit,

I Reg., xiii, 14: *Quasi viri domus suæ*, ubi S. Gregorius ait: « Quia electi viri ad honoris primatum non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, bene dicitur est: *Et præcepit ei, ut esset dux*. Quasi diceret: In honorem prælationis non per ambitionem, sed coactus, ascendit. »

*Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*

11. — « Id est, » inquit Hugo Cardinalis « in eadem fide manentibus, vel eandem lectionem audientibus, vel in eadem beatitudine quiescentibus; qui omnes cum admiratione glorificabunt te, prius humiliatum, dicentes, *Psal. cxxxviii, 17: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* »

12. — Videmus per experientiam ambitiosos et superbos, qui per fas nefasque dignitates venantur, omnibus abominabiles esse, omniumque censuræ subjacere; e contra vero, qui eas juste merentur et tamen fugiunt et consequenter inviti ad easdem promoventur corda, voluntates et laudes omnium sibi comparare, maximeque ab omnibus in ejusmodi gradibus constitutos æstimari et honorari. Unde Laurentius Justinianus exclamavit dicens: « O sancta humilitas, sola in tuis vilis oculis, tu te condemas judicio, quantum Deo amabilis es! quam chara! quam dignitate sublimis! quam dives meritis! in omnium te novissimam credens, cæteros honorabiliter antecedit; dum descendis, ascendis; dum gloriam fugis, acquiris; dum latere cupis, efficacis manifesta; sine tuo detrimento proficis, sine elatione præes. »

#### Adiciones.

a. — *Cum vocatus fueris, vide, recumbe in novissimo loco, etc.* Cum in convivio vari sint locorum accubitus, mandat Dominus, ut non secundum, vel tertium, vel quartum eligamus, sed ultimum teneamus. Super quo sic ex D. Bernardi *Serm. xxvii in Cant.* D. Bonaventura ait: « Si enim in quoniam statu unumquemque nostrum habet Deus, liquido cognosceremus, nec supra sane, nec infra sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes; nunc autem, quia consilium hoc posuit tenebras latibulum sum, et sermo absconditus est a nobis, ita ut nemo sciat, si dignus sit amore, vel odio, justius, tutiusque profecto, juxta ipsum veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum, cum honore superius educamur, quam præsumimus altiore, unde cadere oporteat cum rubore. » En itaque, ut vel ob hoc solum superbia fugienda et detestanda sit.

b. — *Amice, ascende superius.* Ille qui primum locum tenebat, et ad inferiorem ire mandatur, amici titulum amittit, et ei tantum dicitur: *Da hæc locum.* At vero qui in novissimo loco sedebat, amici

#### VERSUS 11.

*Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.*

*Quia omnis, qui se exaltat.*

1. — Valde considerabile est hoc: *Qui se exaltat; non enim dicit: Omnis qui exaltatur, sed qui se exaltat*, indicando ambitiosos, qui in honores ultro se ingerunt et intrudunt; vel qui in prosperitatibus evanescent et superbi evadunt; vel qui alios contemnendo, nimium de seipsis præsumunt. Didaeus Stella etiam ad idem verbum se reflectit, dicens: « Non dicit: *omnis qui exaltatur, sed omnis qui se exaltat*; quia multi sunt exaltati, qui sunt justi; sed ait: *Omnis qui se exaltat, id est, exaltat seipsum, ambiendo honores et dignitates; non potestas, sed elatio in crimine est.* »

#### Humiliabitur.

2. — « Hoc dicitur secundum divinum iudicium, » inquit S. Thomas, « non secundum humanam consuetudinem, secundum quam plures concupiscentes honores, consequuntur, alii vero se humiliantes, inglorii remanent; » hoc eodem casu Carthusianus quoque hæc verba explicat, intelligens illa de confusionis æterna: « *Humiliabitur* humilitate penali in futuro, tanto confusius atque penalius a Christo, omnium iudice, quanto se nunc magis extulerit, nisi per veram penitentiam seipsum in hac vita humiliaverit; » etenim loca magis eminentia, quotidiana experientia teste, ira cæli magis subjiciuntur; siquidem divine justitiæ fulmina sibi attrahunt; id quod clarum est indicium, quod quo dignitates sunt sublimiores et præcellentiores; tanto eos, qui in ipsi sunt positi, majorem contra se ob multas transgressiones, Dei provocare furorem; utpote in quibus etiam nunquam ii, qui perfectissimi et sanctissimi sunt, periclitantur. Unde Tertullianus ait: « Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur; David vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est; Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatram a mulieribus inducitur; » ex quibus præmissis hæc deducitur consequentia, scilicet paucos admodum esse, qui in culmine locisque altis et elevatis positi, non patiantur vertiginem et cadant; « Soli Dei Filio servabatur sine delicto permanere; » et tamen notandum est, quod et ipse non quidem ob periculum, quod potuisset incurrere, sed ad nostram instructionem in regem eligi detractaverit, dumque sibi omnia regna terræ presentarentur, se illorum dominum esse, ut dominium habere negavit, imo expresse protestatus est, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*; ut per hoc nobis innumerat, quanto sint imperia et honores subjecti periculo, quamque

nomine insignitur, cui paterfamilias ait: *Amice, ascende superius.* Quænam hujus discriminis causa? Ille, ut modestus et inanis gloriæ inimicus, omnibusque virtutibus dives, omnibus erat amicus, omniumque animos ad se conciliabat; ille vero, superbia elatus, omnibus se anteponebat, vacuum meritis et virtutibus omnibus inimicus, omnibus erat exosus, atque omnium animos a se avertebat. Sicut enim humilitas omnium virtutum fundamentum et custos, amorem general, sic et superbia eorumdem virtutum adversaria, cunctorum bonorum operum merita cneat, odium ac sui displicentiam procreat, et nutrit. Publicanus, in parabola Evangelica, virtute humilitatis suæ et templo descendit justificatus; Phariseus vero in penam præsumptionis et arrogantia suæ reprobat: « *Remanente in facibus suis,* » exponit Lyranus. At S. Bonaventura hoc inde eruit documentum: « *Do minus plus pensat unam humilem supplicationem peccatoris penitentis, quam innumerabiles actiones aliquis justus de se præsumens.* » Duobus hæc polia tota divinarum legum nititur observantia: *Declina a malo, et fac bonum.* Jam vero Phariseus, si verbis ejus credere velimus utrumque accurate observabat. *Declinabat a malo.* Etenim protestabatur: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* Insuper *faciebat bonum*; sequitur enim: *Jejunio bis in sabbato, decimas domanium quæ possideo; frequentabat templum, orabat: Ascendit in templum, ut oraret.* Quid amplius desideratis in tali homine, in ordine ad perfectionem? Nihilominus descendit hic justificatus in domum suam, « remanente Phariseo in facibus suis. » Utinam reprobationis causam intelligamus, sufficient hæc pauca verba S. Paulini: « Quod justitia ædificabat, superbia destruebat. » Et paulo post: « Reportante sarcinam peccatorum de jactantia sanctitatis. » Huc venit quod scribit S. Ambrosius, *Serm. iii in Psal. cviii*: « Studet supplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laboravit Phariseus ille, ne raperet aliena, ne injustus esset, ne adulteraret? Quantum laboravit, ut decimam daret omnium quæ acquisierat? Quis nostrum hæc facit? Quanti habent possessiones et solis incumbunt fructibus et solis sibi messis recundant? Advertit hoc diabolus et perfudit eum ulcere gravi ut non teneret caput mente carnis inflatus; et in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior judicaretur. Agebat enim gratias Deo quod non esset raptor, adulter, injustus. Quam noxie ei luctatus est serpens, et gravibus eum spiris ligavit? Superiorem fecit, ut de alio loco deiceret; inferiorem se præbuit, ut sublimiorem casu graviore prosterneret. Mala ruina est arrogantia, superiores obruit. »

vicini æternæ salutis jacturæ. Judas a Deo ad sublimem Apostolatus dignitatem vocatus fuit; Saul pariter in Regem violenter quasi est unctus, quia ne exaltaretur, sese abscondit; et tamen, inquit S. Basilius: « Si, qui delatam sibi gloriam acceperunt, condemnati sunt, sine controversia, qui ultra sibi non delatam acquirunt, gravissimo ultra quam dici potest, judicio plectentur. »

*Et qui se humiliat, exaltabitur.*

3. — « Id est, » inquit Carthusianus, « qui veram humilitatem fuerit amplexatus, propriam parvitate et defectuositatem causando, se culpando, seque coram Deo deprecando et prosternendo, et ejus misericordiam jugiter implorando. »

4. — Advertendum quoque est, quod similiter de humili dicatur: *Qui se humiliat; non vero, qui humiliatur*; quia virtus humilitatis debet esse voluntaria et interna; si enim humilem esse ab aliis dependeret, quomodo unquam hanc virtutem consequi possemus aliis invitis? jam enim in nostra non foret potestate; at vero non est ita, omnino enim dependet a nobis, ac proinde cum honor et gloria, ad humilitatis et proprii contemptus proportionem incrementa accipiat, certi et securi simus, quod quanto magis nos humiliaverimus, tanto quoque magis exaltandi simus; non ita accidit superbo in cuius manu non est honorari vel æstimari, cum honores ab ipso præstati ab aliena pendeant voluntate, ac proinde difficile illis est, ut fines suos assequi possint; verum enimvero valde in hac materia notandum est sequens utile documentum, nimirum quod nonnunquam sub profunda quadam humilitate tegi possit insignis superbia, tunc scilicet, quando quis ideo se abijcit et contemnit, ut magni ab aliis æstimetur, ac proinde Albertus Magnus ait: « Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. » S. Bernardus quoque nos docet, quod tunc vere nos humiles simus, quando omnibus virtutibus vere ornat, omnibus nos virtutibus destitutos esse existimamus: « Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias et manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere et contemptibilem reputare; hoc ipsis virtutibus mirabilis judicio. » S. Hieronymus, in Epistola IV. de S. Paula ait: « Quanto plus se depreciebat, tanto magis a Christo sublecebatur; latebat et non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur et appetitores sui deserens, appetit contempiores. » Mundus, qui cor et oculos suos in dignitates defixos tenet, easque æstimat, omnique conatu venatur, obstupescit et admiratur illos, qui, cum similes dignitates habere possint, easdem nihil æstimant. Salutare proinde est illud D. Chrysostomi monitum: « Si gloriæ amator es, eam fugias et

« habebis; nihil enim æque solet admirari homines atque eum, qui non sustinens celebrari, omnia ista contemnit. » In sacris pariter et profanis historicis minime celebrantur, qui honores quæserunt et oblatos libenter amplexati sunt; bene tamen illi, qui omnia, ne eos acciperent, quæserunt effugia; hæc repulsa in summam eedit gloriam eorum, qui se ab iis omnino alienos esse probarunt. Aurea proinde est illa S. Bernardi sententia: « Humilitas in honore, honor est ipsius honoris et dignitas dignitatis; omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. » Idem quoque mellifluus Doctor ad Christum se reflectens, qui, priusquam ad dexteram Patris sederet, descendit primo in inferiores partes terræ, imo in ipsam inferni abyssum, dicit: « Ego autem credo, eum in hoc ipso, quod descenderit, ascendisse; sic enim oportebat Christum ascendere, ut nos ascendere doceremur; cupidi quidem sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes, nobiles enim creaturæ sumus et magni cuiusdam animi, ideo que altitudinem naturali appetimus desiderio; » at vero idem S. Doctor paulo post, modum ascendendi nos docet, qui similis debet esse illi, qui Christus ascendit, qui prius se humiliavit: « Qui alte vadit, » inquit, « cadit potius quam ascendit, quia sola est humilitas que exaltat et per humilitatem ad sublimitatem ascenditur, quia hæc est via et non alia præter ipsam. »

**Additio.**

a. — *Quis omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hæc ex superioribus Evangelii verbis verissima esse patet, quoniam superbo, qui primum locum occupat, dicitur: *Da huic locum*; et incipit cum rubore novissimum locum tenere. E contra vero, humili qui sedet in novissimo, ait Dominus: *Ascende superius*: quod idem est ac si humiliet eos qui se exaltant, exaltet humiles qui in novissimo sedere eligunt. Adverte tamen quod non dicitur: *Omnis qui exaltatur, sed: Omnis qui se exaltat*, id est, exaltat seipsum honores ambiendo et negotio humano principatum obtinet. Non enim potestas, et status, sed elatio in crimine est, et hanc ipse Deus aversatur et punit. Sapiens ex instinctu Spiritus veritatis hoc reliquit scriptam, *Prov., xv, 25: Domum superbiorum demolietur Dominus.* S. Gregorius Magnus reddendo rationem roine superbiorum, hunc adducit Psalmi lxxii versum: *Dejecisti eos dum alleverunt*; et addit: « Non ait: *Dejecisti eos postquam elevati sunt, sed dum alleverunt*; quia hoc ipsum fit superbis interius dejecti, quod eis falsum contingit gloria exterius elevari. » Postquam in progressu ejusdem capitis dixisset: « Valde superbia est, impio de auctore sentire, » asserit: « Impius in loco suo conteritur, quia ipsa superbia quæ elevatur, opprimitur. » Et *lib. I. Epis., v, ait*:

« Elevatio ipsa ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. » Vera propterea ac propria est similitudo illa, quam adducit S. Chrysostomus: « Quemadmodum aquaticæ

« ampullæ facile rumpuntur, ita et illi facile per eunt. » Quando videtis superbos maxime tumidos, tunc scitote eos protinus dirumpendos.

**DOMINICA SEPTIMADECIMA POST PENTECOSTEN**

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXII, VERS. 35

35. Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.  
 36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?  
 37. Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.  
 38. Hoc est maximum et primum mandatum.  
 39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.  
 40. In his duobus mandatis universa lex pendet et Propheta.  
 41. Congregatis autem Phariseis, interrogavit eos Jesus, dicens:  
 42. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei: David.  
 43. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens:  
 44. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.  
 45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?  
 46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSUS 35.

*Interrogavit eum unus ex eis legis Doctor, tentans eum.*

1. — Postquam Sadducei, qui secta quedam hereticorum erat, animæ immortalitatem et corporum resurrectionem negantes, Salvatorem prius per ludibrium de dubio quodam interrogassent, ipsi vero ex responsione a Domino data, cum magno circumstantium applausu obmutuissent, invidi Pharisei simul congregati, tentare conati sunt, ut ejus per hoc apud vulgus comparatam dignitatem et fidem diminuerent, ipsam vel ignorantem convincendo, eo quod sperarent, ipsam ad quæsitæ eorum respondere non posse, sagacissimum ex toto suorum numero, in hunc finem elegerunt, qui eum subtili quadam interrogatione proposita aggredere. Jansenius putat, Phariseos festivum exhibuisse gaudium, eo quod Sadducei, ipsorum adversarii, a Christo confusi et convicti essent, licet plurimum ipsis displiceret, fama et existimatio, quam Redemptor noster, exinde penes populum sibi conciliarat: « Invidia quadam contra Dominum incitata, » convenientes in unum, consultaverunt inter sese de quadam questione, etiam a se Domino proposita, ut si forte ad eam non apte responderet,

« minueretur apud populum admiratio prudentiæ ejus et majorem apud populum ipsi consequerentur honorem et laudem. »

2. — Scriptura ipsorum multos numero congregatos fuisse refert; Carthusianus quoque scribit: « Venerunt multi simul, ut multitudine vincerent, quem ratione non poterant; » verumtamen ex toto numero unum tantum elegerunt, qui Christum aggredere; quem vero in hoc consilio finem spectarint, S. Anselmus egregie dirigit, dum ait: « Dicitur apud se: Loquatur unus pro omnibus et omnes loquamur per unum, ut si quidem vincit, omnes videamur viciisse, si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. »

3. — « Ex immodica invidia accedit tentans, » ait Theophylactus, « quia enim viderant Sadduceos confusos et laudatum Dominum ob sapientiam, accedunt tentantes, si apponant aliquid mandato primo, quasi legem corrigens, ut inveniatur contra ipsum ansam; » ac proinde qui benefactori suo grati esse debebant, ipsam pro viribus suis persecuti; sciendum est etenim, Christum Phariseis gratius præstare non potuisse obsequium, quam factum Sadduceorum adversariorum suorum reprimendo, eosque confundendo, ac proinde grati erga ipsum esse debuissent, et tamen ex propria invidia stimulari, magis contra ipsum exasperati fuerunt, quia